

Aduertencias para

2 ¶ Secunda conclusio, Fratres Mendicantes auctoritatem habent audiendi in confessionibus omnes quarumcunq; Diocesum, & in illis extraneos ac forenses absolucendi etiam à casibus quos Diocesani locorum in quibus Fratres ad hoc deputati fuerint duxerint committendos. Nicolaus. 5. sic concessit Fratribus Minoribus Observantię : vt patet in Compendio ver. Absolutio, quo ad seculares. 1. num. 7. & sequentibus, & hoc idē confirmavit Leo. 10.

3 ¶ Tertia conclusio, seu tertium priuilegium. Fratres Mendicantes debitē presentati vel gratiose ab Ordinariis in confessores acceptati, possunt extra Diocesim subditos illorum audire sicut possunt Curati de iure. Hoc cōcessit Sixtus. 4. Fratribus Minoribus, quo priuilegio gaudent ceteri Mendicantes. Ex Compendio, vbi supra, num. 9.

¶ Hoc idem concessit Urbanus. 4. Fratribus Carmelitis. Et Paulus. 3. Fratribus Societatis ab Ordinario approbatis, vt existētes in Diocesibus vbi sunt approbati, possint quorumcunq; fidelium ad eos recurrentium confessiones audire, & absolvere à reseruatīs etiam Papę exceptis casibus contentis in
Bulla